



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XCIII. Voti Solennis. Traditus, an & qua ratione summus Pontifex dispensare possit ac soleat in Voto solenni castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

CONSILIUM XCII.

Circa dispensationem in voto solenni castitatis.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *Pontifex potest dispensare in voto simplici castitatis:*
3. *Etiā in voto solenni sacris Ordinibus annexo.*
4. *in hoc voto potest dispensari vel antecedenter, vel consequenter ad Ordinem sacrum.*
5. 6. *Ad talem dispensationem requiritur iusta causa.*
7. *seqq. Dispensatus in tali voto, suspenditur ab usu Ordinis sacri.*
10. 11. *Rationes, ex quibus videtur Pontifex dispensare non posse cum Professo Religioso in voto castitatis solenni.*
12. *seqq. Adstruitur summo Pontifici potestas dispensandi in votis solennibus Religiosi.*
15. *seqq. Solvuntur argumenta opposita.*
25. *Duplici modo potest dispensari in voto castitatis, vel omnino tollendo obligationem, vel tantum limitatē.*
26. *seqq. Votum solenne castitatis, si dispensatur cum Religioso, ita omnino tolli potest, ut nullus effectus remaneat.*
29. *seqq. Idem statuitur, si dispenseretur cum Clerico in majoribus Ordinibus constituto.*
33. *Limitata dispensatio in voto solenni tripliciter dari potest:*
34. 35. *vel ut dispensatus teneatur manere caelebs.*
36. *seqq. vel ad matrimonium solummodo contrahendum, non autem consummandum:*
40. *seqq. vel etiam ad illud consummandum, manente quoad reliqua obligatione voti castitatis.*
45. *In voto simplici castitatis Pœnitentiaria tantum limitatē dispensare solet.*
46. *seq. Si absolutē & simpliciter dispensatur in Professione solenni, vel Ordine sacro, votum castitatis totaliter cessat.*
48. *seq. Si absque legitima causa dispensaretur in voto solenni, tolleretur quidem inhabilitas ad contrahendum matrimonium, maneret tamen obligatio voti.*
50. *Responsio ad principale totius Controversia dubium.*

FACTI SPECIES.

I.

W Alfridus, ligatus voto castitatis perpetuæ in Ordine Equestri S. Joannis Hierosolymitani, impetrat à Sede Apostolica dispensationem ad contrahendum matrimonium; antequam illud contraheret cum Livia, fornicationem cum hac committit: contracto matrimonio, etiam peccat cum Seja, constitutâ in famulatio conjugis. Quæritur, an præter peccatum fornicationis, & adulterii commiserit etiam crimen Sacrilegii? Resolutioni istius dubii præmitto aliquot quæstiones præliminares; quarum solutio responsum dabit ad dictum dubium.

QUÆRITUR I.

Utrum Pontifex dispensare possit in voto castitatis perpetuæ?

2. **D**E voto simplici omnes facile AA. conveniunt, illud dispensabile per

Ecclesiam esse non minùs, ac alia vota; ex generalissima potestate ligandi, & solvendi S. Petro, & ejus successoribus à Christo tradita. Difficultas solum moveri potest circa votum solenne, quod duplex est, unum solennizatum per suspensionem Ordinis sacri, alterum inclusum Professioni Religiosæ.

Circa primum, nempe illud, quod annexum est Ordini sacro, dispensari per Ecclesiam posse, conclusio est communiter recepta, etiam ab illis authoribus, qui negant, solenne votum Religionis per Ecclesiam dispensabile esse, ut patet

ex S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. in Corp. prop. fm. Aragon. ibid. Sot. l. 7. de just. q. 4. art. 2. & q. 5. art. 2. & q. 6. art. 2. & in 4. dist. 38. q. 1. art. 1.

Idem tenent à fortiori omnes, qui docent etiam votum solenne Professionis Religiosæ dispensabile esse. Consentit

Gloss. in can. de illo 4. dist. 32. V. Damus.

mus. Covar. p. 4. c. 6. §. 3. Castro contr. hares. V. Sacerdotium. Cajet. 2. 2. q. 88. arr. 11. & tom. 1. opusc. tract. 27. Azor p. 1. l. 13. c. 13. q. 5. Less. l. 2. de just. c. 40. n. 139. Sanch. l. 8. de matrim. D. 8. n. 1. Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 20. n. 3.

contra paucos alios citt. apud Sanch. l. cit. qui volunt, votum castitatis essentialiter annexum esse Ordini sacro, & inde inferunt, à Papa in hoc dispensari non posse. Sed imprimis consequentia ista non tenet; nam etiamsi votum castitatis sit de substantia statûs Religiosi, tamen, ut videbimus, dispensari in eo per Ecclesiam potest. Deinde Ant. est contra communem DD. cæterorum omnium, qui dicunt, totum hoc impedimentum, quod respectu matrimonii validè contrahendi in constitutis in sacro Ordine resultat, esse ex institutione Ecclesiæ. Unde confirmatur data responsio; nam in omni obligatione, quæ inducta est ex institutione Ecclesiæ, etiamsi Apostolica sit, potest ipsa Ecclesia per supremam suam potestatem, quæ in summo Pont. residet, dispensare.

4.

Potest autem, ut cum Suar. l. cit. n. 4. notant communiter DD. in hoc voti, Ordini sacro annexi, impedimento dupliciter dispensari, scilicet vel antecedenter ad Ordinem sacrum permittendo alicui, ut istum suscipiat non vovendo Castitatem, & sic non contrahendo impedimentum aliquod ad matrimonium; vel consequenter ad Ordinem sacrum jam susceptum, tollendo inhabilitatem huic annexam, ut eo non obstante, inire matrimonium, & uti eodem possit. Prior modus dispensandi est clarior, & facilior, ut notat Suar. n. 4. cit. clarior quidem est; quia tota inhabilitas nascitur ex voto, per Ecclesiæ præceptum annexo sacris Ordinibus. igitur ablata obligatione vovendi, hoc ipso ablatum censetur impedimentum. Facilius est, quia hoc modo, cum nullum interveniat votum, tantum dispensatur in lege humana; contra vero, in secundo dispensandi modo intrat obligatio juris naturalis, & divini per votum contracta. Potest tamen etiam in hoc dispensari; interveniunt enim hic duo vincula, unum voti, alterum legis Ecclesiasticæ, adjunctis voto inhabilitatem ad matrimonium: quorum utrumque, si per se, & seorsim spectetur, ab Ecclesia dispensabile est: Votum quidem; quia hoc in se non est alterius naturæ, aut obligationis, quam votum simplex castitatis, consequenter, si hoc, etiam illud dispensabile est: Inhabilitas autem voto isti adjecta; quia, ut dictum est, adjecta est per legem Ecclesiæ, in qua omni dispensare Pontifex potest. Si autem seorsim dispensari in quolibet horum potest, etiam simul

utrumque dispensabile erit; nam duplex hoc vinculum non constituit unum intensive majus, neque per hoc extra, vel proprium ordinem ponitur, vel elevatur, quod simul concurrant. Permanebunt igitur etiam conjuncta sub potestate Pontificia, ut dispensabilia sint. Suar. l. cit. n. 5.

Ad ita dispensandum autem opus est iustâ causâ: neque audiendus est Abbas, qui

5.

scribens in c. cum olim. n. 4. de Cleric. conjug.

dicit, salubre fore statutum, quo Clericorum arbitrio relinqueretur, an velint nuptiis copulari, necne, quod experientia doceat, plerosque se non continere, ipsûmque votum in spirituale illorum damnum redundare, ut proinde Ecclesia in hoc se habere debeat instar Medici, qui à medicina ægroto applicanda cessat, quando videt hanc illi non profuturam, sed nocituram: quam proinde sententiam optimè erroris redarguit Azor q. 5. cit. nam iniqua Clericorum consuetudo non debet præbere ansam, ut tam antiquum, & ad eò decens Ecclesiæ statutum tollatur. Similiter sequendus in hoc etiam non est

Cajetan. tom. 1. tract. 27. de dispensat. matr. in Occid. Eccl. q. un. §. quoad tertium, & p. 3. tract. ult. in respons. ad art. 12.

ubi docet ad sic dispensandum sufficere bonum privatum Clerici; quam opinionem rectè improbat

Catharin. lib. 5. in Cajet. quest. an Pap. poss. dispens. in vot. Ord. sac.

neque enim bonum privatum Clerici ullum tanti momenti occurrere potest, quanti momenti est continentia Clericorum. Quare cæteri DD. omnes ad sic dispensandum ordinariè requirunt causam publicam, qualis est communis Reip. salus, pax, atque tranquillitas, exigens, ut dispensatus in regno, Provincia, vel territorio succedat, quia timetur, ne alias hujusmodi terræ in manus Hæreticorum deveniant, vel speratur, tali medio integrum regnum, vel Provinciam ad Christi fidem, & veram Religionem transferendum; vel si sufficit privata, admodum gravis esse debet.

Ut primò modò, i. e. permittendo, ut ordinatus non voveat continentiam, sicque impedimentum, à matrimonio arcens, non contrahat, licitè dispensetur, minor, quam in secundo modo, requiritur causa, imò nulla, ut dispensetur hoc modo validè, ut notat Suar. n. 5. cit. quia ea univèrsim est conditio legis humanæ, ut dispensatio, circa illam data, valida sit, quamvis debitâ ratione careat, modò ab eo detur, qui superiorem, vel æqualem potestatem cum legis illius conditore habet. Major verò requiritur causa, ut dispen-

6.

pensari possit, postquam voti solennis obligationem per susceptionem Ordinis sacri jam est contracta, idque ob concursum duplicis, ut dictum est, vinculi, voti scilicet, & inhabilitatis ad matrimonium contrahendum inductæ ab Ecclesia. Hinc distinctione opus est; nam quoad eam obligationem, quæ ex vi, & natura voti intrinsicè nascitur, dispensatio, sine causa legitima data, illicita simul, & invalida est; quia data est in lege Superioris, scilicet naturali, & divina, ex qua obligatio voti exurgit: valida autem, quamvis illicita, erit quoad effectum tollendi impedimentum inhabilitatis ad matrimonium, lege Ecclesiastica superadditum. Consequenter sitis, qui ita sine causa iusta dispensatus est, contraheret postea matrimonium, peccaret quidem sic contrahendo, nec posset petere debitum; ipsum tamen matrimonium validum esset, & sic post illud contractum licite posset, & teneretur uxori petenti debitum reddere. Habebit seigitur post hujusmodi dispensationem votum istud, sicut votum simplex, quo ligatus, si matrimonium contrahat, valide contrahit, arcetur tamen à petendo debito.

Less. l. 2. de just. c. 40. n. 139. §. secundo. Sanch. l. 8. de matr. D. 8. n. 4.

Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 20. n. 5.

7. Porro sic dispensatus ad matrimonium, & ejus usum hoc ipso suspenditur ab usu Ordinis antè suscepti, ut patet ex textu *Extrav. antiqua. Joann. XXII. de vor. & usu Romanæ Curie*, in qua, si dispensetur in hoc impedimento, semper exprimitur, ut dispensatus ab usu Ordinis suspensus sit, prout notat Suar. c. 20. cit. n. 11. Absolutè tamen potest Ecclesia dispensare cum conjugato aliquo, ut usum simul conjugii, & Ordinis suscepti habeat, idque si ve antecederet ad votum castitatis, permittendo, ut stante matrimonio ordinetur, ut fit in Sacerdotibus Græcis, quibus usum conjugii, ante Ordinationem contracti, simul cum Ordinis exercitio indulget; si ve consequenter ad dictum votum, dispensando simul, ut ordinatus contrahat matrimonium, eoque utatur, & simul etiam ministrare possit in Ordine antè suscepto. Suar. l. cit. n. 9. Imo, ut idem Suarez n. 10. addit, posset Ecclesia universaliter statuere, & concedere conjugium, ejusque usum cum usu Ordinis omnibus Clericis etiam in occidentali Ecclesia; quia hoc non est contra jus naturale, vel divinum, nec bonis moribus simpliciter repugnans.

8. Verum, ut idem Suar. n. 10. cit. advertit, nunquam expedit in actum hoc redigi; non universaliter dispensando cum omnibus Clericis: quia moraliter loquendo non videtur legitima causa intervenire posse ad legem, adeo sanctè, R. P. Schmalzgrueber *Consilia*.

& prudenter institutam, saltem pro universali Ecclesia abrogandam: non etiam dispensando in casu, & cum persona particulari; licet enim occurrere possit specialis necessitas, ut expediat Clerico in sacris constituto concedi conjugium, & ejus usum, non tamen facile occurreret necessitas, ut dispensandum cum eo sit etiam quoad usum Ordinis sacri, nisi fingatur casus, in quo tanta esset penuria ministrorum Ecclesiæ, ut dispensatus ad matrimonium sine magno cultûs divini, & animarum damno non possit privari exercitio Ordinis sacri à se antè suscepti.

9. Proceditque hoc etiam in casu, quo dispensaretur antecederet ad votum castitatis; licet enim secundum dicta num. 4. hic modus dispensandi facilius sit, quod illa cadat duntaxat super obligationem juris humani: aliunde tamen difficilius est, quod non facile inveniatur causa iusta dispensandi. Vel enim per dispensationem hanc concederetur alicui facultas, ut sine voto, vel obligatione castitatis susceperet sacrum Ordinem, & illius exercitium simul cum usu matrimonii habere possit; & hoc, ut num. præced. dixi, non potest moraliter expedire, cum regulariter causa deficiat: vel solum conceditur facultas recipiendi Ordinem, ut illum habeat, non verò illo utatur; & hoc prorsus irrationabile est, quippe cum ex instituto suo susceptio Ordinis dirigatur ad ejus usum & exercitium: ob quam causam non desunt, qui dicant, esse contra jus divinum concedere Ordinem sine hujus exercitio. Suar. n. 10. cit.

10. Major difficultas, & controversia inter DD. est, an ad matrimonium contrahendum in voto castitatis solenni dispensare cum Religioso Professo Ecclesia possit? Negant

Gloss. in can. sunt quidam 6. V. Apostoli 25. q. 1. & in c. cum ad Monasterium 6. V. abdicatio. de statu Monach. Sylv. V. votum 4. q. 5. Tabien. V. dispensatio. q. 7. Armill. V. dispensare n. 12. Consentiant Altihsiodor. lib. 3. Summ. tract. 28. c. 1. q. 2. Abulens. in libr. num. c. 30. q. 109. Capreol. in 4. dist. 33. q. un. art. 3. Sot. ibid. dist. 38. q. 2. art. 2. concl. 2. & l. 7. de just. q. 4. art. 2. Almain. de potest. Pap. c. 15. S. Albert. M. in 4. dist. 35. art. 16. Turrian. lib. 2. de vot. Monast. fol. 37. col. 2. Barth. de Ledesim. de matrim. dub. 33. lib. Lud. Lop. p. 1. instruct. c. 49. post princ. & p. 2. c. 48. col. 8. Arragon. in 2. 2. q. 88. art. 11. col. 9. & alii non pauci

Allegatur pro hac sententia ipsemet S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. in Corp. ubi in fine, in voto, inquit, solemnizato per Professionem Religionis, non potest per Ecclesiam dispensari.

(LII II) Fun-

II. Fundantur præcipue 1. in textu *c. cum ad Monasterium 6. de stat. Monach.* ubi in fine Innocentius III. *abdicatione proprietatis*, inquit, *sicut & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*: ubi aperte Pontifex dicit, se non posse dispensare in actibus, quæ votis his adversantur. ita autem adversatur voto castitatis contractus matrimonii; quia obligat ad actus voto isti contrarios. ergo. 2. non potest Pontifex facere, ut Sacerdos non amplius sit Sacerdos, Episcopus non amplius sit Episcopus, baptizatus non amplius sit baptizatus. ergo nec facere potest, ut Religiosus non amplius sit Religiosus. cessaret autem esse Religiosus, si cum eo dispenseret in voto castitatis, quippe quod essentielle statui religioso est. 3. status religiosus consistit in quadam consecratione, per quam totus homo devotetur Deo. id autem, quod semel consecratum est Domino, ut dicitur *Lev. ult. & Reg. semel 51. in 6.* inde desumpta, non potest in alios usus commutari, & desistere esse consecratum, quamdiu integrum manet: quod patet in calice consecrato, & probat ratio; quia hæc consecratio intrinsece oritur ex quadam actione, quæ præterit, & ideo relinquit consecrationem indelebilem, perinde ac si characterem impressisset, 4. non potest Pontifex dispensare in jure divino. Sed Professio religiosa, licet quoad modum profitendi sub hac, vel illa regula, sub hujus, vel illius potestate sit de jure Ecclesiastico, quoad substantiam suam tamen, & obligationem est de jure divino, 5. videtur, quod nulla causa iuste dispensandi in hoc voto possit occurrere, causa enim dispensandi in voto debet excedere bonitatem materiæ Deo promissæ. atqui, ut habetur *Ecl. 26. omnis ponderatio non est digna continentis anima.* 6. essentia hujus voti consistit in traditione facta Deo: & in hoc distinguitur à voto simplici, quod tantum est promissio, & se habet instar sponsalium ad ipsum matrimonium. non potest autem, quod semel traditum est, unquam repeti, & auferri sine injuria. 7. S. Apostolus *Matthæus* noluit dispensare cum *Iphigenia* Regis *Æthiopum* filia, ut *Hirtaco* nuberet, etiam si iste promitteret conversionem sui, & regni ad fidem Christi: quod signum est, neque ob maximum bonum publicum dispensari in hoc voto posse: vel si ob causam hujusmodi publicam posset, 8. sequeretur, quod ex eadem boni publici ratione Pontifex etiam dispensare posset in matrimonio consummato, aut uxorum pluralitate; quia casus evenire posset, in quo publicè foret utile sic dispensari, ut si pax totius regni penderet ex eo, quod Rex à matrimonio consummato diverteret, aliam uxorem ducendo, vel in utroque si-

mul matrimonio persisteret. 9. hominum indigentis, ac periculis prospiciendum est humanis medijs, nec res divinæ ad id sunt transferendæ. atqui Religiosus per Professionem factus est quasi res quædam divina. non ergo Reip. necessitatibus consuli debet, eo ad vitam sæcularem translato. 10. si posset dispensari in voto continentie solenni, fieri posset, ut quis duplici uxori viventi licite jungeretur, ut si post matrimoniû nondum consummatû profiteretur Religionem, deinde Papa dispensante, egrederetur, & duceret secundam priori adhuc vivente: quod videtur esse absurdum.

Sed dicendum, Pontificem omnino posse in voto castitatis, per Professionem religiosam solemnizatum, dispensare, atque adeo efficere, ut qui hæctenus Religiosus Professus fuit, non amplius talis sit. Hanc sententiam satis aperte tenuit ipse

Doct. Angel. in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. *quæstunc. 1. ad 3.*

ubi expressissimis verbis, *Ideo*, inquit, *alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesia, aut unius regni, vel Provincia exposcerent, posset convenienter & in voto continentia, & in voto Religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum; non enim per votum potest se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri: unde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui iuste prohiberi, ne continentiam aut Religionem voveret, & eadem necessitate manente, posset eadem in voto dispensari jam acto.* Hinc, dum idem S. D. 2. 2. q. 88. art. 11. dicit, in voto, solemnizato per Professionem Religionis, per Ecclesiam dispensari non posse, ut *Palud. & Cajet. Magistrum suum interpretati suor,* intelligendus est, solum voluisse, quod Pontificia autoritate fieri non possit, ut quis sit Religiosus, & simul matrimonii usum habeat: quod verum est; nam dum quis Religiosus est, substantialia Religionis, consequenter castitatem servare debet, at potest autoritas Pontificis facere, ut quis Religione solutus, & liber & nuptias contrahat, & matrimonio utatur. Quod procedit etiam de alijs votis religiosis. Interpretatio hæc *Paludani, & Cajetani* eruitur ex eodem art. 4. nam postquam ostendit disparitatem inter votum annexum Ordini sacro, & inter votum castitatis in Religione, quod hoc sit essenziale statui religioso, illud verò solum proveniat ex statuto Ecclesiæ, additâ ratione disparitatis, quod per statum religiosum homo abrenuntiet sæculo, totaliter *Dei servitio mancipatus*, subdit, *hoc non posse simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procuranda uxoris, & proles, & familia, & rerum, quæ ad hoc requiruntur.* Quare, ut duo hi textus Doct. Angel. combinentur, dicendum, eundem S. D. solum negasse, quod Religiosus, manens Religiosus, in voto castitatis dispensari possit.

Ean.

12.

13.

Eandem dispensandi in voto castitatis solenni Religiosorum potestatem summo Pontifici adtribuunt

Henric. quodl. 5. q. 28. Richard. in 4. dist. 38. art. 9. q. 1. Durand. ibid. q. 2. n. 8. Palud. q. 4. c. 4. concl. 11. Scot. q. 1. S. Antonin. p. 2. tit. 11. c. 2. §. 9. & p. 3. tit. 1. c. 15. §. 3. Hervæus quodl. 11. q. 25. Cajet. 2. 2. q. 88. art. 11. & in Opusc. tom. 1. tit. 27. de dispens. matr. in Occid. Ecol. q. un. §. videtur autem mihi, in fin. Navar. Man. c. 12. n. 75. Petr. de Sot. lect. 5. de matr. infir. Catharin. in Cajet. quast. an Pap. in vot. Prof. dispens. poss. Ledesim. 2. p. 4. q. 69. art. 7. Cordub. c. 1. q. 25. opin. 2. Angles Florib. p. 1. q. 11. de imped. Ord. art. 3. diffc. 3. & p. 3. tract. de vot. q. un. art. 8. Medin. l. 5. de Sacror. hom. contin. c. 21. & mult. seqq. Tolet. Summ. l. 4. c. 18. n. 5. Henriq. l. 12. de matr. c. 5. n. 7. Valent. 2. 2. D. 5. q. 6. p. 7. col. 3. Azorp. 1. l. 12. c. 7. q. 1. Less. l. 2. de just. c. 40. n. 141. Sanch. l. 8. de matrim. D. 8. n. 7. Suar. tom. 3. de Relig. l. 6. c. 16. n. 5. Laym. l. 4. tract. 5. c. 1. n. 8. Idem ex jurisperitis docet Joan. Andr. ad Reg. semel Deo. in fin. de Reg. jur. in 6. & in c. cum ad Monasterium n. ult. de statu Monach. Host. ibid. n. 30. & seqq. Ant. de Butr. n. 28. Abb. n. 21. Anchar. n. 24. Henric. n. 9. & 10. Præpol. in c. rursus n. 4. & 7. qui Cler. vel vov. Alex. de Nevo ibid. n. 12. Imol. in c. Deus, qui n. 3. de Vis. & Honest. Cler. & Clem. un. n. 16. fin. de consang. Felin. in c. si quando n. 5. de Rescript. Dec. in c. qua in Ecclesiis n. 46. de Constit.

& teste Sanch. n. 7. cit. communiter omnes Interpretes juris Canonici, quorum longissimum catalogum ibi pertexit.

14.

Sententiam hanc etiam suadet multiplex, eaque efficax ratio. 1. quia Sedi Apostolicæ adtribuenda est omnis potestas, ad rectam Ecclesiæ gubernationem necessaria, & expediens. talis est potestas dispensandi etiam in voto solenni Professionis religiosæ; nam hujusmodi dispensatione sæpe magna bona procurari, & mala impediri possunt. 2. ex sententia Doct. Angel. & cæterorum omnium Papa dispensare potest in voto castitatis simplici, ergo etiam in solenni; nam solemnitas voti, & inhabilitas ad contrahendum matrimonium, ut dixit Bonifacius VIII. c. un. de vot. in 6. & confirmavit Gregorius XIII. Const. incipit ascendente edita in confirmationem Instituti Societatis Jesu, solum institutione Ecclesiæ est introducta; Papa autem relaxare ex iusta causa potest quamcumque suam, vel prædecessorum suorum Constitutionem. 3. Votum ca-

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

stitatis, annexum Ordini sacro, non est minus solenne, quam votum inclusum in Professione religiosæ, & ut istud, ita etiam illud traditionem sui ad cultum divinum continet: igitur, si hoc non obstat, quin Pontifex dispensare in voto Clericorum possit, ut fatetur S. Thom. & communiter DD. cæteri, neque obstabit, quin dispensare possit in voto solenni Religiosorum. Neque refert, quod illud non sit essentialiter annexum Ordini sacro, sicut hoc statui Religioso; quia inde duntaxat sequitur, fieri non posse, ut quis maneat Religiosus, soluto voto, sicut fieri potest, ut maneat ordinatus, sublato voto; non autem sequitur, tolli non posse votum unâ cum statu religioso. 4. ut ex historiis constat, & præter alios refert

Azorp. 1. l. 12. c. 7. q. 1.

sæpius talis dispensatio a Pont. facta est, non est autem verisimile, eosdem temere usos fuisse potestate sua in re tam gravi & ubi de valore Sacramenti agitur, in quo quæstionum, & dubitationum genere semper oportet sequi in operando id, quod tutius, atque adeo probabilius est. 5. denique ex concessione potestatis istius nihil inconveniens sequitur, ut mox patebit ex responsione ad argumenta, pro sententia negativa num. 11. allata.

Ad unum argumentum, sumptum ex c. cum ad Monasterium cit. respondent aliqui, ibi nomine Pontificis non intelligi summum Pont. sed Episcopum; nam in antiquis decretis sæpe Episcopi & absolute Pontifices, & aliquando summi Pontifices appellari solebant; quam explicatio-

Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 26. n. 17.

non improbat, putat autem, hic eam necessariam non esse; nam ibi loquitur Pontifex de voto Professionis religiosæ secundum se, & secundum vim suam integram spectato, & non dicit, se non posse absolute dispensare in tali voto, sed solummodo, se non posse dare licentiam agendi contra illud, quamdiu integrum istud manet; hoc enim clarè esset contra jus naturale, & divinum, cui repugnat, votum manere integrum, & obligationem istius ex parte tolli. Et hinc in c. cit. Abbatem Monasterii reprehendit Pontifex, quod sibi integrum existimaret dispensare cum Monacho ad proprietatem retinendam, quippe quod nec Pontifex potest, salvo remanente voto secundum vim suam integram. Sensus ergo textus cit. est, non posse Pontificem facere, ut quis sit Monachus, aut alius Religiosus, quin adstringatur votis substantialibus Religionis: & ita textum istum intelligunt

Innoc. ibid. Abb. n. 23. & alii interpretes, quos referunt, & sequuntur, (LII 112) Co.

15.

Covar. de restam. c. 2. n. 9. & seqq. Mich. Medin. l. 5. de sac. hom. con. tin. c. 32. & 53. Azor cap. 7. cir. q. 1. y. postremò, Sanch. n. 12. Suar. n. 17. quæ explicatio non est contra conclusionem num. 12. factam, ubi contenditur, posse autoritate Pontificia fieri, ut dispensetur cum Religioso Professo in voto castitatis, faciendo illum ex Monacho non Monachum.

16.

Ad 2dum negatur paritas; nam Sacerdos, Episcopus &c. consecratur Deo per characterem divinitus impressum, qui cum deleri nequeat, etiam fieri nequit, ut Sacerdos, semel ordinatus Sacerdos, & Episcopus, semel consecratus Episcopus, tales esse desinant. Contrà status Religiosus non imprimit aliquem characterem, neque consistit in aliqua consecratione distinctâ, sed in ipsa vororum obligatione: unde cum obligatio voti auferri possit ab homine, ut patet in voto annexo SS. Ordinibus, hoc ipso etiam auferri poterit consecratio illa, quæ fit per votum, & sic, qui antea Religiosus Professus fuit, cessabit in posterum esse Religiosus. Nihil igitur obest, quòd, votum castitatis essentialiter sit annexum statui Religioso; nam hoc solum probat, quòd Religiosus, quamdiu talis est, nequeat non esse voto castitatis adstrictus: non autem probat, quòd non possit tolli ab eo status religiosus, tollendo ab ipso obligationem voti, per quam factus est Religiosus, eo fere modo, quo calix, postquam formam consecrationis amisit, profanus efficitur, profanisque usibus applicari potest.

17.

Ad 3tium Regula illa omnino vera est, quamdiu, quod consecratum est, consecrationem suam retinet: secus, si per Ecclesie autoritatem desinat esse consecratum. Potest autem consecratio, ab Ecclesia instituta, tolli à rebus consecratis, & benedictis, non tantum destruendo ipsorum formam, cui inhæret consecratio, vel benedictio (quod omnes admittunt) sed etiam (quod valde probabile esse dicit Less. l. 2. de just. c. 40. n. 144.) rebus ipsis salvis manentibus; cur enim (arguit l. cit. idem Lessius) Ecclesia non possit constituere, ut Templum consecratum amittat consecrationem, dum polluitur, aut calix, dum fabri malleo tangitur? vel etiam ut consecratio solum duret ad tempus certum, & hoc lapsò per se evanescat? addit rationem; quia omnis, inquit, talis benedictio, & consecratio non videtur esse aliud, quam deputatio ad usum sacrum cum invocatione divinæ virtutis, & assistentiæ ad debitum usum, vel alium finem nostrarum precum; nam duo illa abunde sufficiunt, ut res dicatur consecrata, & sacra, neque aliâ ratione videtur Ecclesia posse rei sanctitatem conferre extra Sacramentum. atqui illa, nim. deputatio, &

invocatio non habent vim, nec durationem, nisi secundum intentionem deputantis, & invocantis. ergo si Ecclesia velit non ultra tempus à se designatam consecrationem durare, hoc ipso debet illa cessare.

Ad 4tium distinguendum est inter substantiam ipsius Professionis, & inter effectus inhabilitandi personam ad matrimonium subsequens. Prius de jure divino est; nam, ut

18.

Card. Bellarm. l. 2. de Monach. c. 4. Suar. tom. 3. de Relig. l. 3. c. 2. n. 3. & seqq. Pont. l. 7. de matrim. c. 2. & 3. cum communi aliorum DD.

docent, ab ipso Christo status Religiosus in nova lege est institutus; posterius autem descendit ex solo jure Ecclesiastico: & esto, descenderet ex jure divino, tamen dispensabile foret; quia Christus Dominus instituit, & probavit hunc statum, seu modum vivendi, tanquam aptum ad acquirendam perfectionem, non tamen præcepit illum assumere, neque suppositâ Professione illius, speciale præceptum positivum apposuit perseverandi in illo statu assumpto, sed hoc naturali obligationi, quæ ex ipso statu, votum castitatis perpetuæ sibi essentialiter annexum habente, sequitur, reliquit. Unde cum Papa dispensare ex causa justa possit in voto castitatis perpetuæ simplici, etiam poterit in solenni. Imò, ut multis ostendit

Pont. l. 7. de matr. c. 22 n. 2. & 3. & ex hoc notat Palao tract. 16. D. 1. p. 1. n. 5.

primis Ecclesie sæculis in Religionibus SS. Basilii, Augustini, Benedicti non solennia, sed simplicia edebantur vota.

Ad 5. imprimis alia Scripturæ mens in textu ex Eccl. allegato est, quam argumentum hoc velit; nam, ut Less. c. 40. cir. n. 145. notat, continentia ibi non virtutibus cæteris, sed talentis auri præfertur. Deinde ipse

19.

S Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæst. 1. ad 3.

negat, nihil esse, quo continentia compensari possit: oratio enim, & contemplatio, cum sit finis continentie, multò est hac præstantior; & tamen votum istarum relaxari potest. Possunt ergo occurrere aliqua bona, ex dispensatione in voto castitatis Religiosæ sperata, quæ collata cum bono castitatis solenni, huic meritò præferenda sunt, ut si Rex, vel Princeps aliquis paganus ad fidem Christi transferre se velit, quando concedetur ipsi, ut foeminam aliquam, Deo in Monasterio dicatam, ducere in uxorem possit; vel si ad communem Reip. pacem conservandam, vel jus in regno succedendi tuendum opus sit, ut Religiosus Professus matrimonium contrahat, & sobolem procreet &c.

Azor p. 1. l. 12. c. 7. q. 1. §. alii vero.

Neque obstat, quod hoc modo dispensatus à statu altiore, & perfectiore descendat ad inferiorem, qualis respectu status religiosi est conjugium; nam talis descensus nullam inordinationem habet, si fiat ob communem Reip. salutem, quæ privata utilitati, & commodis antefertur. Deinde, ut Azor l. cit. §. tertio objicitur, notat, à statu religioso non immediate fit descensus ad conjugalem; sed per dispensationem primò fit, ut Monachus fiat non Monachus; deinde verò, ut omni voto solutus, ad nuptias transeat, uxorem ducat, sobolem procreet, in eum finem, ut e. g. aliquis sit in regno successor.

20. Ad 6. Etiam in voto castitatis simplici fit traditio sui, & non tantum promissio; nam ex vi voti simplicis eo ligatus tenetur ad ea omnia, ad quæ tenetur per votum castitatis solenne. Imò per vota simplicia potest quis fieri perfectus Religiosus, si sedes Apostolica in hunc finem ea acceptet, prout factum est in votis simplicibus Societatis Jesu. Unde verum non est, quod votum simplex ad solenne se habeat, sicut sponsalia ad matrimonium, nisi loquamur de particulari illo voto simplici, quo quis vovet ingressum Religionis; hoc enim ad vota solennia se habet instar sponsalium.

Azor q. 1. cit. §. postremo, Less. n. 145. cit. ad 2. dicens, sic intelligendum S. Thom. art. 11. cit.

80. Proceditque hoc, sive votum solenne spectetur, quatenus respicit DEum, sive, quatenus respicit Religionem, & ejus Prælatum; nam quatenus DEum respicit, & ab hoc acceptatur, nihil aliud est, quam deputatio, vel obligatio sui ad talem cultum per exercitium paupertatis, castitatis, & obedientiæ exhibendum Deo, quæ deputatio non minus fieri potest per votum simplex, quam solenne, cum utrumque acceptet Deus, quatenus verò respicit Religionem, & Prælatum, & ab hoc acceptatur, hæc traditio non fit præcise vi voti, sed est quid annexum voto in Professione, maxime voto Obedientiæ, potestque illa annexa esse etiam voto simplici, ut patet in iis, qui nuncupant tria vota substantialia in nostra Societate; statim enim, emisissis votis post biennium probationis in Societate, vovens eodem, quo Professus, modo obligatus Religioni manet, atque in jus ejusdem transit. Et sanè nulla fingi ratio potest, cur non possit aliquis se tradere tum Deo, tum Prælato per votum simplex, ita ut Prælatus in illum jus acquirat, præsertim si accedat ordinario Ecclesiæ, quæ hic modus approbetur, & Prælato potestas acceptandi hujusmodi traditionem detur.

21. Ad 7. Non constat, quod Hirtacus à S. Mattheo petierit, ut cum Iphigenia

dispensaret, vel si petiit, non videretur serio animo promississe conversionem: & esto, petiisset, & serio animo conversionem ad Christi fidem promississet, non expediebat, initio statim nascentis Ecclesiæ Religionem Christianam propagari, relaxatis iis, quæ ad eandem valde pertinent, cum tam apparente ejusdem Religionis despectu, ut notant

Cajet. 2. 2. q. 88. art. 11. §. verum quia hoc non invenio, in fin. Less. n. 145. §. ad tertium. Sanch. D. 8. cit. n. 12. fin.

22. Ad 8. negatur paritas; nam constat, matrimonium inter Christianos contractum, & consummatum nulla auctoritate humana dissolvi posse ob significationem Sacramenti, quæ matrimonium consummatum repræsentat indissolubilem unionem verbi cum natura humana. Similiter etiam dispensari nequit in pluralitate uxorum, quippe quæ tum lege naturali, tum positivâ Christi ob veram significationem Sacramenti interdicta est, ut constat

ex c. gaudemus de divort. & pluribus cit. notat Sanch. l. 7. de matr. c. 80. n. 9.

nulla autem hujusmodi specialis prohibitio reperitur circa dispensationem in Professione religiosa, & voto castitatis perpetuæ huic incluso.

23. Ad 9. Major Propositio hujus argumenti non semper est vera; nam, ut num. 17. notatum est, id solum procedit, quamdiu res sacra permanet: secus, si desinat esse sacra; & sic calices tempore famis sæpe confringuntur, sacrique esse desinunt, ut in pauperum usus converti possint. Idem fit in Religioso dispensato ad matrimonium; nam per hujusmodi dispensationem persona sacra esse desinit. Neque huc confert commune dictum, quod Religiosus censetur mortuus mundo, ut proinde nulla ipsius habenda sit ratio quoad necessitates civiles, acsi naturaliter obiisset; nam mors hæc metaphorica est solum, & dispensatione circa Professionem accepta, qui prius pro mortuo habebatur, redivivus censetur, ut proinde Actuum civilium hoc ipso capax effectus sit.

24. Ad 10. Negandum est, talem habiturum duas uxores; nam prior desit esse uxor, vinculo conjugali per Professionem religiosam sublato: unde, obtentâ potestate circa Professionem religiosam dispensatione, poterit quamcunque ducere. Dein retorquetur argumentum in casu, quo infidelis conversus ad fidem, conjugem, quia ipsi sine injuria Creatoris cohabitare non vult, relinquit, & ad alia vota transit. Item in conjugem mortuo, postea vivente uxore revocato ad vitam; nam, cum per mortem matrimonium dissolvatur, talis redivivus potest cum alia aliud

matrimonium contrahere. igitur neque in nostro casu absurdum est, si is, cujus matrimonium ratum, non consummatum, antea contractum, per Professionem religiosam dissolutum est, postea per dispensationem Pontificiam ex Monacho factus non Monachus, denuo alteri per matrimonium novum jungatur; nam & ipse à vinculo primi matrimonii omnino liber effectus est.

Azor p. 1. l. 12. c. 7. q. 1. §. deinde obijctes.

QUÆRITUR II.

Quomodo dispensare Pontifex in voto castitatis vel simplici, vel solenni possit?

25. **R**esp. potest dupliciter, scilicet vel omnino tollendo obligationem voti, vel restringendo illud, & commutando in obligationem ad castitatem conjugalem ex voto, dispensatione solum manente, quamdiu durat status conjugii, ita, ut hoc per mortem alterius conjugis soluto, tota obligatio voti redeat in vovente, nec possit iste sine nova dispensatione transire ad alia vota. De voto castitatis simplici non videtur fieri posse controversia, quin utroque modo dispensari in eo possit, modò justa causa interveniat, quæ major requiritur ad obligationem hujus voti omnino tollendam, quàm ad eam commutandam in obligationem castitatis conjugalis ex voto. Hinc, quia causæ, ob quam peti solet dispensatio in hoc voto, communiter satisfieri potest dando licentiam ad contrahendum matrimonium, & usum ejus contracti, defacto in eo voto dispensari solet posteriori modo, ut ex formula dispensationis, prout illa in S. Pœnitentiaria Apostolica conceditur, patet; nam in hac dispensatur cum restrictione, & modo expressè adjecto, ut dispensatus, si mulieri, cui conjungetur, supervixerit, castitatem servet, utpote NB. eodem voto, ut prius, obligatus, et si extra matrimonium fornicatus fuerit, aut matrimonium absque nova dispensatione contraxerit, contra votum hujusmodi faciat, & debitum conjugale exigere non possit. Consequenter dispensatio solum afficit licentiam contrahendi matrimonium, eoque utendi, quoad reliqua verò obligationem voti illæsam conservat.

26. Quod verò votum castitatis solenne emissum in religione, per legitimam dispensationem à Pontifice tolli omnino possit,

Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 26. n.

1. ait esse extra disputationem, posito, quòd Pontifex in Professione religiosa dispensare possit, faciendo, ut qui Religiosus

Professus antea fuit, jam non amplius Religiosus sit. ostensum autem est num. 12. & seqq. Pontificem dispensatione sua facere ex Religioso Professo non Religiosum posse, pro qua sententia num. 13. adducti sunt plurimi DD. qui proinde omnes propositioni hic assertæ patrocinantur. Authores verò illi, qui negant hoc votum tolli dispensatione posse, maxime in hoc fundantur, quòd professio ipsa indispensabilis sit: consequenter, supposita hujus dispensabilitate, nullus eorum negaret, etiam votum castitatis, & hujus obligationem simul cum Professione per dispensationem auferri posse: ut adeò prout notat Suar. n. 1. cit. posita ista hypothesis, dici possit, hæc esse communis omnium sententia, quæ eisdem rationibus fundari, atque defendi potest, quibus defenditur potestas dispensandi circa Professionem religiosam.

Addit allegatus Doctor eximius c. 26. cit. n. 2. non solum posse, sed etiam necessariam consecutione hoc ipso auferri votum castitatis religiosæ, ablato vinculo Professionis, quando simpliciter, & nullo imposito, vel accepto onere fit dispensatio. Rationem dat, quia votum illud non fuit emissum, nisi ut annexum tali Professioni, & statui; consequenter hoc simpliciter sublato, etiam votum aufertur. Quod confirmat, & declarat hoc modo: ablata Professione, aufertur solennitas voti, quippe quam votum habet solummodo ratione Professionis, igitur etiam votum ipsum aufertur, ita, ut post hujusmodi dispensationem, nisi hæc aliter limitetur, neque induat naturam voti simplicis. Probatur Conf. nam votum hoc ex intentione voventis non est factum, nisi ut solenne, & quasi ad confirmandam traditionem in tali statu. hæc autem traditio, ablato vinculo Professionis, & ipsa cessat; quia hac per dispensationem sublata, dispensatus fit sui juris, & potestatis: consequenter habilis ad matrimonium.

28. Confert hæc triplex paritas. 1. cum reliquis duobus votis religiosis, paupertatis scilicet, & Obedientiæ, quæ per dispensationem in Professione religiosa ita tolluntur, & nullus eorum effectus maneat, aut obligatio ulla etiam ex parte persistat. 2. cum votis simplicibus in Societate Jesu emissis; nam, quando his adstricti legitime dimittuntur ex Societate, obligatio illorum vororum omnino tollitur sine nova dispensatione in votis, ex hac præcipuè ratione, quia vota hæc ex intentione voventis emissæ sunt solum pro statu, in quo illa emisit; quod etiam formula votorum simplicium, post biennium Novitiatûs in ea emitti solitorum, clarè indicat illis verbis, *Voveo paupertatem, castitatem, & Obedientiam perpetuam in Societate Jesu &c.*

3. cum

3. cum Professione, quæ ex aliquo impedimento emissa est nulliter; nam vitio hoc detecto, etiam votum castitatis pro nullo habendum est, neque induit obligationem voti simplicis, nisi vel aliud constet ex intentione voventis, vel contrarium in aliquo speciali casu sit expressum, ergo pariter, nisi aliud exprimat, dispensatione facta in Professione, etiam votum castitatis omnino evanescet.

29.

Circa votum continentiae annexum Ordini sacro, fieri potest difficultas aliqua; nam Clericus, dispensatus in Ordine sacro, adhuc manet Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, & retinet characterem indelebilem Ordinis, cui votum istud annexum est: ut adeo videatur esse disparitas cum Religioso Professo, qui per dispensationem cessat esse Professus, & Religiosus: consequenter in priori non censetur votum ex toto sublatum, sed quoad contractum matrimonii, & huius usum limitatum. Sed dicendum cum Suar. l. 9. cit. c. 20. n. 3. etiam huius voti obligationem tolli dispensatione Pontificia posse: pro qua sententia stant DD. ab eodem Suarez allegati, & ratio, quam dat l. cit. n. 5. quia in tali casu quidem interveniunt duo vincula, unum voti, alterum legis Ecclesiasticae, adiungentis voto inhabilitatem ad matrimonium, quorum tamen utrumque, si per se, & divisim spectetur, est dispensabile à Pontifice, igitur, cum per conjunctionem illorum vis & obligatio non augeatur, nec extra proprium Ordinem eleveur, etiam quando concurrunt, dispensabilia erunt. Semper igitur hoc votum tolli per dispensationem Pontificiam poterit, cum discrimine tamen, ut his duobus titulis concurrentibus, requiratur major causa, ut iusta sit dispensatio, quam ad dispensandum in voto castitatis simplici, ut notat idem Suar. n. 5. cit.

30.

Neque obest, quod ita dispensatus nihilominus retineat Ordinem sacrum, cui votum istud annexum est: quod ostenditur paritate cum vasis, & aliis rebus sacris; licet enim iure ordinario non possit vas consecratum ad profanos, & communes usus destinari, in aliquo tamen casu, ex urgente gravi necessitate, dispensari potest, ut liceat uti huiusmodi vase ad aliquem communem, & ordinarium usum non malum, sed bonum, & naturæ necessarium, ut si non esset aliud remedium adhibendum, & extinguendam sitim, vel quidpiam simile, ad eum modum, quo David, urgente necessitate Panes propositionis accepit 1. Reg. 21. cuius factum Christus defendit Matth. 12. ut ibi Hieron. & alii notarunt. ergo etiam licet Clericus, in sacris constitutus, retineat Ordinem, & semper maneat persona ad servitium in illo Ordine Deo consecrata, tamen poterit dispensatione Pontificis, ad statum laicalem redigi, & usus matrimonii non unius,

sed mortua prima conjugē, etiam alterius eidem concedi, tanquam si nunquam voto aliquo castitatis ligatus fuisset; quia, ut de Religioso dispensato notat Suar. c. 26. n. 11. licet usus ille communis dici possit, quatenus non est ex melioribus bonis, non tamen est malus, & interdum esse potest communitati necessarius.

31.

Neque dicas, paritate hac cum vasis sacris probari nimium; probaretur enim, quod sicut, urgente extrema necessitate, vasa sacra etiam sine dispensatione adhiberi usibus profanis non malis possunt, ita etiam Clericus in sacris constitutus, urgente necessitatis publicæ causâ, seipsum, dispensatione non petita, transferre ad statum laicalem valeat; nam huic replicæ sufficienter occurrit cit. Suar. n. 11. cit. ubi ait, ita quidem in rigore sentire eos, qui dicunt, magis esse hoc licitum per interpretationem, quam per dispensationem, essetque fortasse id verisimile, si necessitas esset evidentissima, & adeo urgens, ut non posset summus Pont. vel alius vices ejusdem gerens conveniri: verum, ut idem Doctor eximius l. cit. notat, quia duo hæc moraliter non possunt contingere, ideò satis inde concluditur, hoc fieri posse saltem per modum dispensationis.

32.

Porro dispensatio hæc ex iusta, & proportionata causa fieri à Pont. ita potest, ut nulla omnino obligatio ex voto maneat, sed votum ipsum ex toto tollatur; nam Pontifex dispensatione sua tollere solennitatem huic voto potest, quâ sublatâ habebit tantum vim voti simplicis, quod Pontifex, si causa legitima hoc exigens adsit, tollere omnino potest, cum hoc solum discrimine, quod ob consecrationem Ordinis, quem dispensatus retinet, major requiratur causa, quam in voto castitatis simplici. Atque ita dispensare censetur Pontifex, quando cum Clerico, in sacris constituto, absolute dispensat, ponendo illum in statu laicorum, & liberando ipsum ab omnibus oneribus, & obligationibus Clericalibus: quod sumi videtur à paritate cum Religioso Professo dispensato; nam hic, ut num. 27. dixi, nisi dispensatio expressè restricta sit ad certum effectum, omnino censetur esse liber ab omni obligatione sicut aliorum votorum paupertatis, & obedientiæ, ita etiam castitatis, ex ratione, quia hæc vota censetur edidisse limitate ad statum religiosum. atqui nec Clericus censetur se obligasse voto continentiae; quod Ordini sacro annexum est, nisi consecutivè ad statum, cui per susceptionem Ordinis sacri adscriptus est. ergo similiter, ita hoc, dispensatione median- te, sublato, consecutivè etiam sublata censetur obligatio totalis voti annexi, quippe quod, tanquam accessorium, cum principali, cui annexum est, tollitur. Aliud dicendum de eo, qui per degradationem de statu Clericali dejectus est; nam hic,

hic, sicut alias obligationes Clericales, ita etiam voti castitatis retinet, cum non debeat ex delicto suo reportare favorem.

33. Facilius dispensari potest cum eo, qui ligatus est voto solenni, dispensatione certo aliquo modo limitata. Modus autem iste triplex maxime excogitari potest. 1. dispensando in Professione, & solennitate voti, non tamen in ordine ad contrahendum matrimonium, sed eâ conditione, ut dispensatus teneatur manere cælebs, quamvis non inhabilis ad matrimonium contrahendum. 2. dispensando etiam ad contrahendum matrimonium, non tamen ad illud consummandum. 3. dispensando etiam ad consummandum matrimonium, sed cum onere servandi extra matrimonium castitatem. De his omnibus dubium formari potest, & formatur à DD.

34. Ad idem Suarez tom. 3. de Relig. l. 9. c. 26. n. 3. respondet posse sic dispensari. Rationem dat; quia ex objecto, & connexionem rerum non est in hoc repugnantia, quod dispensetur cum aliquo in Professione Religiosa non purè, sed admiscendo commutationem aliquam, ita, ut dispensatus quidem subtrahatur ex potestate, & dominio Religionis, quam est professus, teneatur tamen permanere, in statu simplicis continentie, sicut alii, qui ad hanc in sæculo observandam se obstrinxerunt; nam qui potest id, quod plus est, potest etiam id, quod est minus, si utrumque sit in eodem ordine. atqui Papa dispensare potest in voto simpliciter, illius obligationem auferendo totaliter, ut dictum est à num. 12. igitur per se loquendo potest solenne votum commutare in simplex, auferendo solummodo subjectionem ad Ordinem Religiosum, in quo hæcenus vixerat dispensatus.

35. Addit tamen Suar. l. cit. n. 4. practicè, & moraliter loquendo, talis dispensationis modum vix posse habere locum ex defectu legitimæ causæ ad dispensandum, quæ alia esse non potest, quam, ut talis persona matrimonium contrahat in aliquo casu, ubi hoc ad bonum commune admodum necessarium est; omnis enim alia causa, quæ excogitari potest, absque mutatione status Religiosi, per alias facultates, vel dispensationes remedium sufficiens accipere potest: quod ostenditur; si qua enim causa legitima excogitari posset, ob quam dispensaretur cum Religioso in reliquis, excepto Cælibatu, ea esset vel bonum privatum ipsius dispensandi, quia e. g. non potest in communitate, & sub iugo Obedientie, aut paupertatis Religiosæ sine lapsu frequenti, & gravi vivere, cum tamen speret, se continenter, & sanctè ducturum vitam solitariam, si dispensetur in statu Religioso; vel hæc causa esset bo-

num commune ad quod conservandum; vel procurandum necessarium, aut valde utile foret Religiosum aliquem à statu suo abducere, non, ut hæredes regni generet, sed ut bella illius gerat, aut illud gubernet, vel alia ejus negotia tractet, quæ in Religioso statu decenter fieri non possunt. Neutro in casu necessarium esse potest, ut dispensetur in statu Religioso, salvâ continentia: non in primo; nam in his, & aliis similibus casibus sufficiens remedium adhiberi posset dispensando non in statu Religioso quoad ejus substantiam, sed tantum in usu & observantia ejusdem, dando scilicet licentiam vivendi extra communitatem sub obedientia Episcopi, vel etiam solius Pontificis, & cum ampla potestate utendi bonis temporalibus absque proprio illorum dominio; non in casu secundo; quia hæc omnia fieri possunt, retento statu Religioso, cum dispensatione Pontificis, qui, ut decentius ista fieri valeant, etiam indulgentiam posset licentiam ad mutationem habitus, & alia tali muneri, vel actioni opportuna.

36. Pro secundo modo dispensandi, scilicet, quando, relicta integra obligatione, voti castitatis in Professione Religiosa emissi, dispensatur solum ad contrahendum matrimonium non verò ad illud consummandum Suar. c. 26. cit. n. 14. ponit hunc casum; Titius, postquam defloravit virginem, & ex ea prolem naturalem suscepit, ingreditur Religionem, & Professionem in illa emittit: successu temporis se produnt circumstantiæ, quæ petunt, ut idem filius per subsequens matrimonium legitimetur e. g. ut possit succedere in jure regni, vel alterius hæreditatis, aut ob aliam similem causam. In hoc, & similibus casibus ait Suar. l. cit. posse dispensari cum Religioso Professo, ut contrahere valeat matrimonium ad hunc præcisè effectum, ut legitimetur proles, putatque hunc modum dispensandi ex parte causæ, & materiæ esse faciliorem, quam si per dispensationem auferatur omnino obligatio voti; quia ex una parte actus ille contrahendi matrimonium sine animo consummandi nihil derogat castitati, ut ad eam in obligatione juris divini, & naturalis nulla fiat dispensatio, sed in jure solum humano Ecclesiæ, à quo inducta est inhabilitas ad contrahendum matrimonium in Professo; ex altera verò parte hæc sola dispensatione obrinetur finis intentus, nempe legitimatio proles: ut ad eam ex causa minori illa concedi possit, nec tantum propter bonum publicum regni, sed etiam propter conservandam illustrem familiam, vel hæreditatem, aut etiam ad reparandam aliquo modo famam, & honorem matris illustris, quæ prolem ejusmodi ex dispensando concepit. Sed

37. Sed etsi hæc ita sint, plures tamen aliunde rationes occurrunt, ob quas dispensatio hoc modo facienda difficilis redditur, ut scaturit Suar. *n. 14. cit.* qui ideo addit, hujusmodi dispensationes ex his causis nunquam fieri, nec fortè expedire, ut fiant. Prima difficultas est; quia si hoc modo dispensaretur ad matrimonium, istius vinculum vel maneret perpetuum absque consummatione, aut iterum esset dissolvendum. prius est contra jus alterius conjugis, qui liber à vinculo matrimonii rati pronuntiandus est, quando alter conjux non vult illud consummare, sed Religionem profiteri, aut quod perinde est, in ea permanere. Alterum involvit repugnantiam in ipso facto; quia non apparet, per quid tale matrimonium solveretur: non per Professionem; quia hæc præcessit, & non potuit impedire valorem matrimonii, ne fieret. igitur multò minus poterit dissolvere jam factum. non per novam dispensationem; quia videtur involvere specialem indecentiam dare dispensationem ad contrahendum matrimonium sub formali, aut virtuali intentione, aut spe dispensationis obtinendæ in eo vinculo.

38. Altera difficultas est; quia sic dispensatus post matrimonium contractum vel maneret adhuc Religiosus Professus, vel talis esse cessaret. Primum videtur fieri non posse; quia non potest Religiosus Professus, quamdiu talis manet, ex justitia obligari ad reddendum alteri conjugii petenti debitum: & hinc, qui absque consensu conjugis proficitur Religionem, invalidè proficitur, nec obligatur in vim Professionis, sed voti simplicis duntaxat ad debitum non petendum, quamvis teneatur reddere: atqui sic dispensatus, quamvis sub ea conditione dispensatus sit, ut matrimonium non consummet, ex justitia tamen teneretur reddere debitum conjugii petenti, quippe quod jus conjux per ipsum matrimonii contractum sibi acquisivit, & quo jure dispensans ipsum spoliare non potuit. Sed neque alterum dici potest, quòd scilicet cesset sic dispensatus esse Religiosus; quia hoc est contra casum, de quo hic queritur; queritur enim, utrum Religiosus manens Religiosus Professus dispensari possit ad matrimonium sub modo, ne istud consummet.

39. Tertia difficultas est, quia limitatio illa non consummandi matrimonium vel teneret tantum ex parte ejus, cum quo dispensatur, vel ex parte utriusque, quia sic contractum est matrimonium initio statim, ut illud non consummetur. Primum non tollit periculum consummationis; quia, ut *num. prac. dixi*, non tollit jus alteri conjugii, ut petere debitum, & sic consummationem matrimonii possit. *Sec. R. P. Schmalzgrueber Consilia.*

cundum videtur repugnare substantiæ matrimonii, de cujus essentia est, ut sit mutua traditio corporum ad actus conjugales, quod jus per ipsum contractum, si hoc modo iniretur, auferretur. Dicit quidem Suar. *l. cit. n. 15. & 16.* difficultates istas leniri posse, si dispensatio concederetur ita, ut si alter conjux noller perpetuam castitatem servare, matrimonium solveretur vel per iteratam Professionem, vel per priusjam editam, quippe quæ vim dissolvendi matrimonium, quæ per dispensationem quodammodo privata erat, eo casu recuperaret. Verum an hæc responsio difficultatibus objectis satisfaciat, prudentiori judicio examinandum relinquo.

Supereft tertius dispensandi modus, *num. 33.* insinuat, scilicet, si dispensetur cum Religioso Professo non solum ad matrimonium contrahendum, sed etiam ad illud consummandum, manente quoad reliqua obligatione voti castitatis, de cujus duplici modo queri potest. 1. an possit dispensare Pontifex cum Religioso Professo in voto castitatis ad matrimonium, & usum illius, ita tamen, ut vinculum Professionis non omnino tollatur, sed dispensatus maneat Religiosus? 2. an dispensari possit, ita, ut tollatur omnino status Religiosus à dispensato, & votum solenne castitatis mutetur in simplex continentiæ conjugalis? Circa primum quæsitum

Suar. *rom. 3. de Relig. l. 9. c. 26. n. 7. & 8.*

duplicem sententiam refert: & quidem negantem ait, passim à DD. tanquam manifestam supponi. Eandem cum aliis tenet

Azor *p. 1. l. 12. c. 7. q. 1. v. postremo,*

ubi ait, Religiosum, dum Religiosus permanet, ita esse ab usu conjugii alienum, ut nullâ humana, etiam Pontificiâ, potestate fieri queat, ut conjugio utatur; pugnat enim usus conjugii cum natura status Religiosi. Accinit huic sententiæ Layman *l. 4. tract. 5. c. 1. n. 8.*

Argumenta pro hac parte stant efficacissima; nam 1. hoc videtur decidi in *c. cum ad monasterium 6. de stat. Monach.* ubi dicitur, Pontificem non posse dispensare cum Religioso in voto paupertatis, vel castitatis: quod cum de sensu divito intelligi nequeat (quia juxta hæcenus dicta Pontifex potest, sublato statu Religioso, dispensare ad matrimonium, & ejus usum) intelligendum est saltem in sensu composito, ita, ut sensus sit, Pontificem non posse facere, ut Religiosus, manens Religiosus, non ligetur voto Paupertatis, & castitatis. 2. status Religiosus essentialiter constituitur ex voto castitatis. Ergo repugnat manere aliquem Religiosum, & sine voto castitatis; tolleretur enim hac dispensatione
(M m m m m) votum;

40.

41.

votum; quia tolleretur obligatio voti, sine qua votum manere non potest. Hinc ut S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. agnovit, clara est disparitas inter Religiosum, & Clericum; nam Clericatus non ita essentialiter est annexum continentiae votum; sicut illud annexum est statui Religioso: & ideo Clericus talis manere potest etiam sine voto castitatis.

42. Contrariam tamen sententiam, scilicet, quod dispensari cum Religioso Professo possit, ut manens Religiosus contrahere matrimonium, eoque uti valeat, Suar. c. 26. cit. n. 8. dicit esse veram, si rectè explicetur: pro qua allegat

Navarr. *Enchir. de Orat. c. 7. n. 20. & de rehit. Eccl. q. 1. monit. 55. & q. 3. monit. 11.*

1. ob paritatem cum voto simplici castitatis, in quo, ut *num. 25.* vidimus, potest dispensare, & actu ita dispensat Pontifex, ut excepto usu matrimonii, quoad reliqua obligatio voti persistat: & rationem dat, quia votum istud quoad extensionem objecti est quasi divisibile, & ideo potest non in totum, sed pro majori, vel minori parte auferri juxta exigentiam causae. pariter ergo dispensari poterit cum Religioso ad contrahendum matrimonium, ejusque usum, quin totaliter auferatur votum, vel ipse status Religiosus. 2. quia in conjunctione horum duorum statuum in una persona nulla apparet repugnantia: non ex parte ipsius personae; quia si conjugatus cum licentia conjugis profiteatur Religionem, manet conjugatus, & simul sit Religiosus: non ex parte dispensantis; quia Pontifex dispensando statum Religiosum potest omnino tollere. ergo etiam cum tali limitatione suspendere: non ex parte causae; quia ad sic dispensandum eadem, imò cum minus quid sit, minor sufficit causa, quam ad statum Religiosum viâ dispensationis omnino tollendum. 3. non videtur esse repugnantia in dispensatione, quâ duobus conjugibus Regiis, qui post susceptum regni haereditatem mutuo consensu professi sunt Religionem, si deinde, haerede illo mortuo, necessarium istud sit, licentia detur, ut iterum convenient ad filium procreandum, manente illorum statu Religioso. ergo pariter non erit repugnantia in dispensatione, factâ cum Religioso Professo ex causa praedicta, vel simili, ad matrimonium contrahendum, eoque utendum, ita, ut nihilominus permaneat Religiosus; nam in utroque casu tantum suspenderetur obligatio voti quoad actus ad finem dispensationis obtinendum necessarios.

43. Verum per hanc explicationem putondum sublatam esse difficultatem; positò enim, quòd status Religiosus, prout defecto est institutus, consistat in perfecta, eaque perpetua tam corporis, quam animae

castitate, non video, quomodo per dispensationem fieri possit, ut quis simul verè Religiosus maneat, & licitum habeat usum matrimonii, quippe cum videatur dispensatio hæc tendere ad contradictoria, concedendo scilicet licitum usum matrimonii, quem ipsum prohibet, dum dispensatum vult manere nihilominus perfectè Religiosum. Posset id procedere in sententia eorum, qui putant ad constituendum Religiosum sufficere castitatem conjugalem, ad quam solum aliqui Ordines militares se obligant; verum hæc sententia communiter rejicitur. Neque obstat, quòd his Ordinibus adscripti in aliquibus Bullis Pontificiis Religiosi vocentur; nam hoc intelligendum est solum, quòd tales sint secundum quid, quatenus scilicet profitentur regulam Religionum approbatarum, & Religiosa vota ex parte observant. Hinc nego paritatem cum voto simplici castitatis, in quo limitata dispensatio pro matrimonio contrahendo, ejusque usu concedi potest; nam tali dispensatione nihil conceditur contrarium statui, in quo dispensatus existit. Nec satisficit, quòd, ut *n. 12. l. cit.* ait Suarez, hoc, quòd castitatis votum emissum sit in Religione, non immutet specificè obligationem illius, neque addat novum aliquid jus divinum, vel naturale; hoc enim solum probat, quòd non minus in voto castitatis Religiosae dispensari possit, non tamen probat, quòd sic dispensatus verè Religiosus manere possit; cum essentia status Religiosi in voto castitatis perfectè consistat.

44. Quoad secundum dispensandi modum, *num. 40.* insinuat, scilicet ut absolvatur quidem dispensatus omnino à statu Religioso, mutando votum castitatis Religiosae in votum continentiae conjugalis, nullum est dubium, quin dispensare hoc modo Pontifex possit. Idque procedit sive ad matrimonium, jam ante Professionem contracti, & consummati, licitum usum post editam Professionem, causâ necessariâ sic exigente, sive ad matrimonium de novo contrahendum, eoque utendum. Potestque dispensationi addi conditio, ut dispensatus non solum non possit transire ad secunda vota sine nova dispensatione, sed etiam, ut teneatur redire ad Religionem, soluto per mortem, vel divortium perpetuum matrimonio, ad quod dispensatus est. Imò non desunt DD. qui sistent, Pontificem dispensare posse cum Religioso Professo ad matrimonium ea conditione, ut hoc tandiu duret, donec habeat prolem, & eâ habitâ, statim ad Religionem redeat. Sed meritò hanc sententiam cum Abbate, Tabiena, & aliis improbat

Sanch. *l. 8. de matr. c. 8. n. 9.* vel enim contraheretur matrimonium sic, ut susceptâ prole, cessaret ejusdem vinculum, vel, ut persistente ejusdem vinculo, teneat;

teneatur uxor consentire in mariti huius sui in monasterium reditum. prius repugnat essentia matrimonii, quippe cuius, si consumatum sit, vinculum est indissolubile. posteriore injungeret onus uxori gravissimum; quia cum periculo forte animae suae privaretur usu matrimonii: imò si ea conditione iniretur matrimonium, ut teneatur pars parti dare licentiam ad ingrediendam Religionem, ipsum matrimonium irritum faceret; quia videtur esse contra huius substantiam.

QUÆRITUR III.

Quomodo defacto dispensari soleat in voto castitatis vel simplici, vel solenni, an absolute, auferendo omnem obligationem voti, an verò restrictè ad certum modum servandi castitatem?

45. **R**esp. hoc pendere ex tenore dispensationis; potest enim, ut hactenus vidimus, Pontifex, interveniente iusta causa, utroque modo dispensationis gratiam impertiri. In voto simplici, ut patet ex formula dispensationis, prout illa in S. Pœnitentiaria Apostolica datur, & dictum est *num. 25.* dispensatur restrictè, & sub modo expressè adjecto, ut dispensatus castitatem conjugalem servet, & mortua conjugè, ad alia vota transire nequeat, tanquam eodem voto, ut prius, obligatus: consequenter dispensatio solum afficit licentiam contrahendi matrimonium, eoque utendi, quoad reliqua obligationem voti illæsam conservat.

46. Aliter loquendum, cum dispensatur in Professione solenni; nam si in hac Pontifex dispensat absolute, & simpliciter, faciendo ex Religioso Professo non Religiosum, per necessariam consecutionem, ut *Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 26. n. 2.* notat, auferitur votum castitatis totaliter, ita, ut omnis ejusdem obligatio cesset, nisi Pontifex dispensans hoc limitaverit. Ratio est, quia ablata Professione, auferitur solennitas voti, ergo etiam votum, quippe quod non fuit emissum, nisi ut annexum tali Professioni, & statui. Vid. *n. 32.* Idem dicendum, si dispensetur in Ordine sacro simpliciter, ponendo dispensatum in gradu laicorum, cum privatione omnium Privilegiorum Clericalium, nec dispensationem limitando ad unum duntaxat matrimonium; nam licet sic dispensatus Ordinem susceptum retineat, utpote cujus character indelebilis est, per huiusmodi tamen dispensationem liberatur ab omnibus obligationibus Clericalibus: consequenter etiam à voto castitatis, quippe quod accessorie solum ex præcepto Ecclesiæ annexum est Ordini sacro, nec præsumitur dispensatus aliter ad hoc se obligasse, nisi consecutive ad statum, cui per suceptionem Ordinis sacri

adscriptus est, quem cum dispensatione mediante, mutet, consecutive etiam sublata censetur obligatio totalis voti annexi, quippe quod tanquam accessorium cum principali tollitur.

Dices, si obligatio ex voto simplici manet in dispensato, non manet in ligato voto solenni, sequitur, melioris conditionis esse eum, qui voto solenni adstringitur. Resp. neg. Sequel. nam quia obligatio voti solennis arctior est, idcirco major, & gravior, eaque publica requiritur causa, cum ad dispensandum in voto simplici sufficiat causa, & commodum privatum ipsius dispensandi. Quod verò in voto simplici post dispensationem obligatio maneat, non maneat in solenni, provenit ex natura istorum votorum, & modo ea emittendi; nam votum simplex absolute emittitur, & principaliter se habet: ut adeò, nisi Pontifex absolute dispense, sed solum dispense ad matrimonium, quoad reliqua remaneat obligatio voti: consequenter tantum censetur facta commutatio voti castitatis simpliciter in obligationem servandi castitatem conjugalem ex eodem voto. Contra verò votum solenne ex intentione votantis non censetur emissum, nisi pro eo statu, cui illud vel essentialiter, ut in Professione Religiosa, vel accessorie, ut in Ordine sacro annexum est: & sic in casu, quo dispensatur absolute in statu, & ita, ut dispensatus quoad omnia haberi debeat tanquam Laicus, & Sæcularis, hoc ipso censetur sublata omnis obligatio voti. Paritas est in Professione nulliter facta, & in dimissis ex Societate post vota bicennii, de quibus videantur dicta *num. 28.*

Procedunt autem hactenus dicta, quando dispensatio facta est ex legitima, & urgente causa; nam ad dispensandum in voto solenni, ut matrimonium contrahi possit, & tali voto ligatus absolvatur ab omni obligatione voti, requiritur gravissima, & urgentissima causa, ut quoad Clericū in Sacris constitutum ostendi *num. 5.* quoad Religiosum Professum cum communi do-

Sanch. l. 8. de matrim. D. 8. n. 8. Laym. l. 4. tract. 5. c. 1. n. 8. fm.

Talis est communis totius regni salus, alicujus Pagani Principis, vel Regis ad Christi fidem conversio.

Azor p. 1. l. 12. c. 7. q. 1. §. postremò. Concordant DD. ceteri facile omnes; omnes enim, dum huius dispensationis causam legitimam exprimunt, adducunt exempla boni valde communis, ut pacis totius regni &c. Atque hoc suadet etiam ratio. Nam 1. dispensatio hæc fieri nequit absque statûs Religiosi aliquo detrimento, atqui rationi repugnat bonum privatum spectari, postposito detrimento totius status Religiosi. 2. alias dispensationes hæc frequenter indulgentiæ essent cum, frequentissimè

(M m m m m 2) ipsius

47.

48.

ipsius Professi bonum privatum occurrat, ob quod concedendæ illi dispensationis causa iusta existeret: quod quantum labe factaret statum Religiosum, nemo non videt. 3. sic Religiosi spe obtinendæ dispensationis ad statum Religiosum deserendum frequentius vexarentur tentationibus.

49.

Hinc Suar. l. 9. de Relig. c. 20. n. 5. monet, si cum Clerico, constituto in Ordine sacro (idem est in Religioso Professo) dispensetur in voto solenni absque causa legitima, dispensationem quidem validam fore in ordine ad tollendam inhabilitatem ad contrahendum matrimonium, quippe quæ juris Ecclesiastici duntaxat est, non verò in ordine ad tollendam obligationem illam, quæ ex vi, & natura voti intrinsecè nascitur: ex quo sequitur, sic dispensatum posse quidem uxori postea ductæ debitum reddere, non tamen petere; quia cum dispensatio quoad votum fuerit invalida, obligat semper ad id, quod conjugatus facere sine injuria uxoris potest.

Ex his patet responsio ad dubium principale num. 1. positum, scilicet utrum Walfridus in casu præsentis præter peccatum fornicationis, & adulterii commiserit etiam crimen Sacrilegii? Nam si dispensatus est simpliciter, nullo onere accepto, vel imposito, sed totaliter absolutus ab Ordine Equestri, & statu Religioso, certum est, Sacrilegium à dispensato non fuisse commissum, dum post dispensationem obtentam, & relictum statum Religiosum fornicatus est; quia tali casu obligatio voti simpliciter, & absolute sublata est. Contrà, si dispensatus solummodo est ad matrimonium contrahendum, remanente quoad reliqua obligatione voti castitatis, pariter certum est eundem reum se fecisse Sacrilegii, sicut reus illius est quivis alius, qui ad castitatem conjugalem ex voto obstringitur; nam transgressio voti Sacrilegium est, cujus voti obligatio tali casu ponitur cessasse tantum quoad contractum, & usum matrimonii.

50.

Resolvitur
principale
dubium.

F I N I S.



Index